



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXII. Manresa discedit Ignatius, Nosocomium & spelunca in quibus egerat,
venerationi sunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

Sancto Thoma, Congregationis nostræ Lusitanæ Monacho, & in Conimbricensi academia primario Theologiæ Professore, nonnulla referri ex Constantino quodam Caietano, nostræ item Cassinensis Congregationis Monacho, quæ ut prædictæ religiosissimæ Societatis existimationi aduersantia, sic minus probabilia quam fides historiæ postulat, ab ipsa Congregatione nostrâ Cassinensi (quam ut parentem libenter veneramus) decreto publico indicata iam sunt. quocirca, ea, ut sine fundamento relata, certè à communi Congregationis nostræ sensu aliena, declaramus. In quorum fidem, testimonium hoc scribi iussimus, & nomina nostra subscripsimus, Religiosos Sacræ dictæ Societatis Patres enixè rogantes, ut de antiqua illa nostrâ in ipsos, quam hætenus experti sunt, obseruantia, nihil detractum, vel diminutum fuisset, vel etiam in posterum fore, sibi certo persuadeant. Datum in hoc nostro Monasterio Tibanensi, die 29. Octobris, anni 1645. Magister F. Antonius Carnero, Abbas Generalis. Hæc tam insignia Venerabilium S. Benedicti Monachorum voluntatis summx erga nos monumenta, eos toto statim per Societatem orbe, motus fecere animorum, ut ad Conuentum Generalem anno 1646. Romæ congregata publica comprobatione decreuerit, Congregationi utriusque Cassinensi, & Lusitanæ, agendas communi nomine amplissimas gratias, pignori futuras nexus perpetui, quo utriusque Societas æternū tenebitur. Utque amor veri, & consensionis mutux studium nihil possint, non feret profecto Ordinis vilius prudētia priuati cuiusquam cæco arbitrio, nunc pacem Ordinum, nunc famam proscindi, serendis rixis, & litibus, quibus interdum ad tuenda sua qui perperam icti sunt coguntur apologus armari, vnde haud raro grauius faucij exeunt prouocantes, quam iniuriosè prouocati. Patiunt hæc contentiones (quod vtinam certa non firmaret experientia) offensiones in publicum, in Ecclesiam damna; & si causam priuatam, tota Religio suscipit, timendum magnopere, ne priuatos quoque publica diffidia vellicent, quasi communium partium sequaces. Sed iam facta Ignatij repetamus.

Plus decem mensibus Manresæ egerat, prima pietatis tyrocinia, partim in domicilio pauperum, partim in spelunca cum fructu posuerat; qui locus ad penitentiam mirè aptus inquilino suo moras illic suadebat longiores, nisi quæ sanctis solet esse importunissima, inde illum sui reuerentia fugasset, quam tota iam ferè prouincia vitare non poterat; fiebat ad eum concursus in dies auctior; frequentabatur eius specus, itantis ad pias circum stationes, ponè vestigia legebantur; ac si vetaret, interpellandi metus accedere propius, obseruabatur procul curiosè, nec amouere ab se vlllo pacto, nec declinare molestiam sinebatur: accedebat quietis alienæ, famæque ratio, multos enim ardore incenderat pietatis minime vulgaris, quibus ex prima Exercitiorum cultura fixum erat aliam deinceps conditionem viuendi querere, legiturque in actis, Manresæ, cum eò venit Ignatius, ægrè Deum sat notum fuisset; cum inde abiit, magna sui parte fuisse sanctam. Verùm improbissimi nebulones, siue bonorum probitate rati sua flagitia perstringi, siue sua quapiam alia ex causa, eorum complures vulgo probrosè infamabant, & pessimis modis

XXII.

Manr. sa discedit Ignatius, Nosocomium & spelunca in quibus egerat, venerationi sunt.

infectari pergebant. His ad discessum motus Ignatius, incitatus præterea est multo acius, studio visendi loca sancta quod ille iam cum se Deo dicasset, conceperat animo: nec illum tam veneratio in monumenta illa Christi vestigiis adoranda; quam ingens desiderium trahebat Christi orientalibus prædicandi. Hic ubi Manresæ discessus pererebuit, mirum dictu quam multi, quantis & precibus, & lachrymis, & obiectis quæ aditurus esset periculis auocare à cæpto contenderint. Sed obsurdierat hominum vocibus, qui Deum audiret contraria monentem: quibusdam vero inter amicos lætissimis, qui esse illi comites ambiebant, constanter respondit, nolle se alios itineris socios, præter fidem, quam sequeretur ducem; spem quæ sibi deesse nihil sineret; charitatem, quæ in comitatum relictura non esset; quare nec in viaticum subsidij ex elemosina admisit quicquam, ne pleniore Dei fiducia careret, si humanam opem, comitis, & pecuniarum ei adiunctam vellet. Impetratum ex eo id tantum, vt deposito cum catenâ sacco vestem indueret clericalem, sed breuem, & vili crassoque ex panno; ita lugentibus, & frustra morantibus discessum Manresæ, Barcinonem contendit: illic Agnetem Pasqualiam nactus, cuius olim sollicitudine, hospitio pauperum Manresæ exceptus fuerat, eadem apud sacerdotem ipsius germanum tamdiu diuertit, dum illi portui, pestilentia suspecto, commerciorum rediret securitas, possétque Italiam versus nauim conscendere. Mansit tamen Manresæ locis veneratio quæ fuerat præsentem exhibita: redibant animo lacrymæ, ieiunia, cruenta flagellationes, preces, incensi de diuinis sermones, peregrinationes, & alia quibus illa tam diu consecratur, visabantur velut sanctimoniam insignia, tandemque publici honoris illustri decorata epigraphe; & cultu dedicationis qua in vsus sacros ex profanis translata Deo addicto sunt. Pro Nosocomij foribus in quo sancti ardoris primigenios ignes effuderat posita pyramis hoc elogio insculpta.

Ignatio Loyola, Beltrami filio, in Guipuscoa nato, fundatori Clericorum Societatis Iesu, qui anno ætatis trigesimo, in propugnanda Pampelonensi contra Gallos arce, fortiter pugnavit, indeque lethaliter saucius, & singulari beneficio sanatus, desiderio ardens sacra Palaestina visendi loca, in ipso itinere, castimoniam voto se obstrinxit; & Montisferrati consecratis in templo, Beatissimæ Virgini, quæ tanquam miles ferebat, armis, sacco, & cilicio opertus ac propè nudus, cæpit hoc loco vitæ antea peccata lugere, novusque iam Christi miles, ieiuniis, lacrymis, orationibus à seipso vindictam exigere; tam illustris facti monumentum, in Dei gloriam, & Societatis splendorem

Ioan 789

*Ioannes Baptista Cardona Valentianus, Episcopus Vichensis, & Tortosanus Electus, eiusdem Patris sanctimoniam, & Ordini ad-
distissimus hunc lapidem posuit tanquam viro piissimo, & de tota
religione Christiana benemerito,*

Nosocomium vero ipsum Societati in Collegium cessit, agrotis intra op-
pidum commodius locatis: angustum conclaue vbi dies octo in ecstasi fue-
rat, in piam ædiculam mutatum: spelunca tot eius voluntariis pœnis, & visis
cœlestibus nobilis; eleganter strata, & quoad licuit, ornata ne cum saxi de-
formis natiua specie, religiosus illius horror tolleretur. Spectatur ibidem ta-
bula opus non imperitæ manus, hæc Dei famulum exhibet, qualem olim ca-
uerna incolam habuit passo temerè capillitio, vultu exsuccio & pallido, sac-
co tectum, catena præinctum & nudis pedibus, coram Deipara infantem Ie-
sum brachiis complexa, de genibus nixum, defixos habet in eam oculos, dex-
tram sustinet extans petra, quasi scripto Exercitiorum dictata excepturam
quæ peculiari Christi, & Virginis instinctu illic creditur accepisse, legiturque
his verbis in coronide tabulæ.

*Hoc loco S. Ignatus, anno 1522. librum Exercitiorum com-
posuit, qui primus fuit librorum à Societate scriptus, & approbatus
est Pauli tertij Pontificis diplomate.*

Illic item magnis honoribus colitur Christi effigies de cruce pendentis,
palmi ferè vnus, ex petra cui incisa est dimidio eminens. hæc dum Ignatius
Manresæ degeret, basi imposta, regiæ imminere viæ, Barcinonem ducenti
ad commeantium pietatem; inde aliquot annis, haud scio quo casu, deiecta,
iacuit aliquamdiu, donec Thomas Fadreus Canonicus, sublatam, domi suæ
habere voluit, postea tamen venerationis maioris sensu quodam permotus, in
specu Ignatij fissæ rupis hiatu ad læuam altaris excepit, addens fore tempus
quo summis honoribus tota vicinia coleretur; quod facillè pro vaticinio à
multis creditum quibus Canonici nota erat pietas singularis: & cœpit euen-
tus, dicti fidem præstare anno 1627. dum enim pridie S. Ignatij, sacri cantus
in sacello complentur, & stipant proximam Ignatij specum quotquot in eam
subire potuerant; ecce tibi primum ex plaga lateris crucifixi, fluere sanguis
tam recens, & vegeti ruboris, deinde ex manibus, capitisque punctonibus, vt
vivo ex corpore fluere videretur. Nihil ommissum est ad deprehendendam noui
ostenti causam, donec absque vlla dubitatione compertum tandem est, fingi
præter miraculum nullam posse, pro quo sedecim testes dixerunt iuridicè, ex
quibus Canonici duo, Doctores medici tres, Iurisperitus vnus, & rubent ho-
dièque vestigia sanguinis maxime à latere, ad pedes deflui. Commendat au-
tem mirificè sanctitatem loci, fidelium pietas quos ad eum sancti memoria
magno

magno concursu venerabundos trahit, iamque vsus ferme in legem abiit, vt qui Monferratū ad Virginem adit, in salutata Ignatij specu, tribus dista leucis non redeat: quod spatium à multis præ reuerentia nudis pedibus obitur, nec deest sua pietati merces; soli enim ramenta peregrini; & de rupe assulas referunt, quibus efficacissimis, vtatur præsertim aduersus fascinoes, & veneficia. Anno quidem 1603, Margarita Austriaca, Regina, imminente partu, lapillum optauit ex Ignatij spelunca, vt fauentem de more parturientibus, sibi quoque propitium faceret. Verum antequam ornaretur, & communi pateret venerationi indicauit successu mirabili Deus, quanto eilet honore digna. Iuuenes octo impudici, cum eiusdem farinae scorto Manresa progressi, locum turpitudini suæ arbitris vacuum dum quærunt, cauernam subeunt, ignari fuisse Ignatij, vt ex vno illorum rescitum est: sed qui cubiculum vbi primos nouæ vitæ satus Ignatius hauserat, non est passus scadari probrosis flagitijs, speluncam frequenti Virginis specie, & sancta in corpus proprium crudelitate dedicatam, ab eiusmodi spurcicia immunem seruauit. dum enim facinus attentant iuuenes scelerati, cadauerum instar stupere membra, & emorifentiunt, horrore insuper nulla ex causa repente coorto, extra specum impuri, canes exturbantur.

XXIII.
*Ignatius in
 Palastrinam
 contendit &
 singularis
 Dei in eum
 tutela Barci-
 none, Pasa-
 uij, Venetijs,
 & mari.*

Cæterum Barcinone subsistens Ignatius, dum per suspiciones pestilentia, liceret in Italiam transmittere, nullum sibi tempus otiosè abire passus est: cursate per Nosocomia, itare in carcerem, miseris illis omni consolatione, omni ope adesse, nec tamen de quotidianis septem precandi horis, quicquam minuere; mendicato quoque per urbem, pauperibus stipem corrogare, de se vero, & viatico, & nauulo tam esse sine cura, vt si thesaurum in Dei manibus haberet depositum, suis vbique sumptibus consulturi: & nitebatur planè dispensatore Deo, hoc ipso quod totas in eo spes suas locauerat, quæ mox quam essent in securo sita, sic illum docuit. Sedebat in turba puerorum, ex suppedaneo altaris concionem cum illis audiens: Isabella Rosella, matrona nobilis, coniectis fortè in illum oculis, videt eius vultum circumfuso splendore radiantem, simul audit interius, hominem aduocaret, vnaque intelligit, sub neglecto illo & vili panno, magnum Dei famulum latere: illa vt erat valdè prudens, tunc quidem nihil mouit; sed domum reuersa viro narrat, quicquid visu, & mente cognouerat, vtriusque mandato quæsitus domum Ignatius adducitur, & simulata in pauperem beneficentia, mensa excipitur vt sanctus. ibi ex condicto in sermones de Deo ab iis coniectus, pro solito suo, ita disseruit, vt multo clarius, ex luce inde sibi oborta, quam quæ emicuerat ex eius facie, verè perspicerent hominem esse diuinis opibus locupletem, grandi sibi bono ducturi si possent illum domi perpetuo tenere. Sed cum aduertissent in Palastrinam animum obfirmasse, iamque sibi locum in myoparone versus Italiam parasse, motu magis diuino, quam quod res magnopere suaderet, rogare institit matrona, ne tam periculoso nauigio committeret sese, cum posset nauis se tutius credere, quæ breui esset transmissura, se vero de necessarijs ad iter, suo sumptu visuram. mouit idem haud dubiè, ad piæ sceminae admittendas preces Ignatium, qui eam impulerat ad rogandum; dempto tamen nauulo, quod